PHILOMELISMATA
qvibus
in ipſis NATALIBUS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
QVILIELMI ERNESTI,
Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montaniæ, Angariæ & VVeſtphaliæ, Landgraffii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Principis Comitis Hennebergæ, Comitis Marcæ & Ravensbergæ, Dynaſtæ in Ravenſtein,

Patris Patriæ noſtri Clementiſſimi,
auſpicatiſſimo fauſtiſſimoq; ſidere,
cum adplauſu Muſarum Vinarienſium, omniumque fidei non ſubleſtæ ſubditorum ſuppliciis
die XXX. Octobr. Anni hujus M. DCCII.
ſemel & quadragies ſollemniter agitandis,

ad Orationem ab alumnorum uno bonæ indolis ac frugis
BENJAMINO GODOFREDO STARCKIO, Colledano,
Omnium diſcipulorum nomine, ſubjectionem ac communis gaudii conſortionem teſtaturo,
Craſtino die hora 11. Pomeridiana in auditorio conſveto recitandam,
Omnes illos, qvi qvantamcunqve de felici hoc Principis natali percepere lætitiam
decenter invitat

PHILIPPUS Großgebauer/
Rector Vinarienſis.

VINARIAE, Litteris MÜLLERIANIS, Typ. Aul.

22
1702 d. 30 Octbr.
1
30/10 702
22.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-390012-p0002-0

O *Lux*, jam roſeis qvæ fulges lutea bigis,
Et terræ radiis *mille* coruſca micas!
Horas ipſa *refers*, ut ſidus amabile, lætas,
Qveis mihi *de cœlo* riſit Apollo parens.
Plurima Vinariæ qveis fudit *gaudia* Summus,
Editus ut Princeps *noſter* amandus erat.
Lux fuit hæc, *qua Dux* QVILIHELMVS natus, ut aurum
Splendida, *Saxoniæ* noxqve receſſit agris.
Sidus ut obſcura rutilans de nocte niteſcit;
Sic Ducis illuſtris ſplendidus *ortus erat.*
O lux, mille refers de cœlo gaudia, noſter
Qva Dux Saxoniæ, ſidus ut, ortus erat.

Dux etenim bonus eſt, regni qvi flectit habenas,
Delicium *patriæ* ſpesqve ſalusqve ſuæ.
Eſt *pater* ex imis reſerans præcordia fibris:
Eſt ſol, qvi tepido preſſa calore fovet.
Eſt pharos & *lampas* per noctis euntibus umbras,
Lapſuroqve ferens *tutor & altor* opem.
Eſt inſtar precibus magni Gedéonis *heros*:
Imperii telamon firmus amore ſacri.
Saxonicæ *decus eſt* rutæ: florente vigeſcit
Hac pax *Vinaridum* mœnibus, alma qvies.
At*que* per hunc vivax ſemper ſtat fervida virtus,
A cujus pendet noſtra ſalute ſalus.
Dux, Patriæ pater eſt, ſol, lampas, tutor & heros,
Imperii decus eſt, Vinaridumque ſalus.

Ordinis hic juſtiqve tenax & fortis amator,
Menteqve robuſtus cultor & ore *ſacri.*
Præſes & eſt prudens, neu certior ordo labaſcat;
In *templisque* ſonet ſed bene dogma ſacris.
Anxia cura Duci tenera pro pube *ſcholisque*,
Munera pro qvarum larga ſalute dedit!
Tantale, *dat* tibi nil illic ad ſtagna; ſed acrem
Plena vel hauſturi deſerit unda ſitim:
Non numeranda caput ſupra prædulcia pendent
Poma, *manu* ſi qvæ ſunt capienda, fugas.
Ordinis hic ſacri præſes templisqve ſcholisqve
Munera dat plena non numeranda manu.

Namqve opibus frueris, Princeps Celſiſſime; *luxus*
Te tamen atqve tuis deſidioſus *abeſt*.
Te juvat haud Tyrius murex, qvo pectora *faſtus*
Plena tument, nec Te *Bacchus* odorus amat.
Titillet damnoſa *Venus* peredatqve medullas
His, qvibus eſt ingens *æris* acervus, amor.
Urit Te ſincerus *amor*, Tua pectora flammæ,
Qvîs nihil *injuſtum*, qvod ſine lege, capis.
Sunt, qvibus incendit *feritas* Cyclopica mentes,
Martia qvos armis *bella* ciere juvat.
Aſt pejus Princeps fugit angve *nociva* benignus
Phorcidos, accendit qvem ferus igne *furor*.
Luxus abeſt, faſtus, Bacchus, Venus, æris amorqve
Injuſtum, feritas, bella nociva, furor.

Contra corde decus virtutum nobile caſto,
Marmorea fixum ſicut in arce *ſedet*.
Ex animo flagrat *pietas* ſincera, fluuntqve
Vel *Divina* ſuis vota precesqve labris.
Aurea pax permulcet eum, peramœna *quiesque*,
Et curas legum *juſtitiæqve* gerit,
Ut *jubar*, Eois cum Lucifer exit ab undis,
Purpureo fundit *dulce* micatqve polo;
Sic, Dux celſe, nites veræ fax plena *ſalutis*,
Nec male te vexat ſordidus orbis *amor*.
Contra corde ſedet pietas divina qviesqve
Juſtitiæqve jubar dulce, ſalutis amor.

Ut

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-390012-p0003-6

Ut qvondam *virtus* arctiſſima corde reſedit
Herculeo, Syren qvum mala lactet idem:
Vel malo veluti ſocios *devinxit* Ulyſſes,
Pectora neu molli carmine capta cadant;
Sic ſe divino ſtrinxit Dux dogmate *nexu*,
Qvi nece *non rumpi* ſæva minante valet.
Intrepida *patitur* mala quævis mente; ſed iſtæc
Vincla, poteſt qvem nil vincere, vincit amor.
Ipſe *fidemque* colit, Pylades vel ſicut Oreſtes;
Mens manet in certo certa tenaxqve *malo*.
Virtus Herculeo devinxit pectora nexu,
Nec rumpi patitur vincta fidemque malo.

Hinc mare per *navim* ſcopulos fluctusqve gubernat,
Et pandit *tanqvam* carbaſa nauta noto,
Adverſis fragilem *cautus* deducis in undis
Ut *proreta* trabem, ſidere frete poli;
Sic ope Dux Summi firmata mente *gubernat*,
Ne cadat in *Syrtes* non temeranda ſalus.
Novit is, ut publicis *noceant* qvam plurima rebus,
Diraqve cum tumidis *ſaxa* minentur aqvis.
Unde *nec unda* ratem ſatis eſt penè tuta regenti;
Anxia ſed puppis ſæpe *minax*qve ruit.
Hinc navim, tanqvam cautus proreta, gubernat,
Ne Syrtes noceant, ſaxa nec unda minax.

Ergo gratemur tanto de Principe nobis,
Luceqve *lætemur* jam redeunte Ducis.
Hoc liqvidus ridet *natali* mitius æther,
Optatoqve ſuis *ſidere* fauſtus adeſt,
Hæc lux magna refert, hæc grata diecula *nobis*,
Hicce dies, Tibi *qvo* vis renovata, *redit*.
Vivit O! *Illuſtris* vitamqve per optima ducis
Et tua vivaci *vita* virore viget.
Ipſa *ſalusqve* ſuis Te blandula ſtringit in ulnis,
Et *Ducis* exarſit dulcis amore ſui.
Ergo lætemur natali ſidere, nobis
Qvo redit illuſtris vita ſalusque Ducis.

Ipſe Deus Patri patriæ ter maximus addat,
Vel qvæ *Nelides* ſecula vixit avus!
Vel qvoqve Phœbea *poſthac* tremulæve Sibyllæ
Certet! detqve Duci ſecula plura *Deus*!
Optimus hic dignus, multos cui vita ſuperſtes
Annos, qvi valeat non nnmerare dies.
Tempora tarda fluant! tarde ſua ſtamina rumpant
Parcæ, *qvo ſero*, Dux, moriare ſenex!
Muniat altipotens invicto *robore* Nautam!
Fortis agat fragilem per fera ſaxa ratem;
Addat Nelidis poſthac Deus optimus annos,
Tempora qvo ſero robore fortis agat!

Vive, Pater Patriæ, decus O! peramabile, vive!
Vive *diu* populo, Dux venerande, tuo!
Pelle procul ſortem felix *ſuperaque* novercam,
Atqve, *tuum qvi* vult cor ſuperare, malum!
Pectora ſi qvis atrox tua *territat* anxia curis,
Hunc *hoſtem* precibus pelle fugaqve tuis!
Vive Per innumeros, Dux, feliciſſimus annos!
Sit Libitina procul! tempus in omne *vale!*
O *pie Dux*, mea lux, mea magna potentia, vive,
Mavortisqve procul *vive* furore, vale!
Magne vale Princeps, O! Dux excelſe, *faveqve*,
Corde *tuis*, qvi Te præcoluere, vale!
Vive diu, ſuperaque tuum, qui territat, hoſtem!
Vive, vale, pie Dux! vive faveque tuis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-390012-p0004-2

22

PHILOMELISMATA

qvibus

in ipſis NATALIBUS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

QVILIELMI ERNESTI,

Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montaniæ, Angariæ & VVeſtphaliæ, Landgraffii Thuringiæ,
… Miſniæ, Principis Comitis Henne-
… Comitis Marcæ & Ravensbergæ,
… Dynaſtæ in Ravenſtein,

Patris Patriæ noſtri Clementisſimi,

auſpicatisſimo fauſtisſimoq; ſidere,

… Muſarum Vinarienſium, omniumque fidei non ſubleſtæ ſubditorum ſuppliciis

die XXX. Octobr. Anni hujus M.DCCII.
ſemel & quadragies ſollemniter agitandis,

…tionem ab alumnorum uno bonæ indolis ac frugis

…O GODOFREDO STARCKIO, Colledano,

…cipulorum nomine, ſubjectionem ac communis gaudii conſortionem teſtaturo,

…ino die hora II. Pomeridiana in auditorio conſveto recitandam,

…s, qvi qvantamcunqve de felici hoc
…Principis natali percepere lætitiam
decenter invitat

…ILIPPVS Groſʒgebauer/
Rector Vinarienſis.

…ARIAE, Litteris MÜLLERIANIS, Typ. Aul.

1702 d. 30 Octbr
30/10 702
22

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-390012-p0005-7